



R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

IV. Alia explicatio eiusdem diuisionis: & obiter quaternus eius alterum
membrum, videlicet relatio Præcamentalis, soleat trifariam subdiuidi?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

prædicamentaliter referri ad filium, certe non importat perfectionem aliquam intrinsecam vlli fundamento simplici, & incomplexo, sed potius alicui, quod sit complexio quadam rerum distinctarum inuicem, & seque extrinsecè respicientium: huiusmodi enim est Paternitatis essentia. Vel paulò aliter: ea importat perfectionem intrinsecam, non fundamento absolute dicto, sed fundamento, & termino, cum quibus potius, quam cum altero solum identificatam volumus relationem. Atque hinc obiter fatissit quibusdam instantiis, quæ sese offerre possunt aduersus solutionem superioris probationis, tertiæ nimirum.

42 Ad quintum à principio: habitus in abstracto sumptus pro vestimento, armisve, prædicamentum, quod dici solet *habere* constituit: ita vero non est relatio rei induræ, & armatæ ad indumentum, & arma, sed potius horum ad illam; his autem, siue, quod iuxta est, sibi ipsi intrinsecam concernit perfectionem: quod si habitus sumatur in concreto, ita quidem est relatio eius, qui vestitur, aut armatur, ad formas harum denominationum, eaque extrinseca, nullamque perfectionem importans fundamentum intrinsecam prorsus: quamobrem eo sensu est species quadam relationis prædicamentalis, nec habitus prædicamentalis, nisi nomine tenus. Deinde permitto, habitum quomodolibet sumptum esse quadam relationem prædicamentalem, & non transcendentalem: profecto nihil inde colligi potest, contra nostram sententiam: siquidem diuisio entis in relationem, habitum, & cætera prædicamenta haud est exacta, & propria, sed rudi, vt aiunt, & pingui minerua tradita: quocirca parum interest, quod aliquod eius membrum includatur in alio, scilicet habitus in relatione prædicamentali, veluti homo in animali: sed de hoc statim. Aio tertiò, non deesse multos auctores, qui ad veram relationem prædicamentalem exposcant distinctionem realem, non quamcunque, sed adæquatam: talis autem non interest inter vestitum, & vestes, armatum, & arma: neutrum ergo ad hæc refertur extrema, prædicamentaliter vtique: quod autem homo munere ambarum denominationum ita referatur ad illa, tantum probat ambas, prout hominem cum vestibus, & armis comparant, esse relationes prædicamentales, prout se verò, transcendentales: posteriori autem modo sumptas, non priori strictè dici habitum.

43 Ad sextam, & vltimam probationem: modi omnes perfectionem, & entitatem inuoluunt, vt ostendatur in tempore: quod autem sint modi essendi, minimè obstat: quia etiam forma substantialis est modus essendi materiæ, cui non tam esse, quam completè esse communicat, & tamen ea perfectionem, & entitatem importat. Declaratur: perfectio alia est transcendentalis, & hæc omni modo, & relationi non solum transcendentali, quod per se patet, sed etiam prædicamentali communis est, nullamque non comitatur, vt omnibus est in confesso, vtque rectè animaduertit Fonseca libro quinto, metaphysic. capite decimoquinto, quæstione tertia, sectione tertia: *Patet enim*, inquit, *respondendum esse, relationem quamlibet huius prædicamenti, etsi non est perfectio ad operationem actiue, aut passiue comparata, esse tamen perfectam perfectione transcendente*: alia est perfectio formalis in virtute quidpiam agendi, aut patiendi sita, atque hæc etiam relationi prædicamentali conuenit, vt superius visum: quod si non;

R.P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

quid refert. Cum supersit prior, eiusque præsidio nostra possit assertio defendi.

C A P V T IV.

Alia explicatio eiusdem diuisionis: & obiter quatenus eius alterum membrum, videlicet relatio prædicamentalis soleat trifariam subdiuidi?

44 Satis probabile arbitror omnem veram, ac propriam relationem, siue sit actionis ad terminum, causamve, aut passionis ad subiectum, formamve, siue vbitatis ad locum, remque locatam, siue durationis ad tempus, eique rem commensam, siue cognitionis & amoris ad rem cognitam, & amatam siue substantiæ ad accidentia, quibus subesse potest, & postulat, siue horum contra ad illam, siue demum quæcunque alia transcendentalis dici solita ad genus ad aliquod spectare, & esse relationem prædicamentalem: hanc autem esse relationem in communi prout à supradictis abstrahitur speciebus, omnesque sua ambitione, & latitudine cohibet. Quocirca relatio prædicamentalis, & transcendentalis distinguuntur tantum velut superius quoddam, & inferius, animal, verbi gratia, & homo: vti namque omnis homo est animal, non tamen omne animal homo; sic omnis ratio transcendentalis, siue in specie sumpta relationis in genere, & communissimè vsurpatæ conceptum vendicat; è conuerso tamen haud omnis relatio in communi est relatio transcendentalis, ac specifica, v. g. cognitio, actio, aliæve consimilis: proinde distinctio earum relationum est inadæquata, & irreciproca: irreciprocatio constat ex iam dictis: inadæquatio verò, quia est cum identitate nuper etiam explicata coniuncta.

45 Probat autem hæc sententia primò auctoritate: fuit enim Zenonis Eleatis, & omnium philosophorum Aristotele, & Platone antiquiorum opinio, *Esse quidem* (vt verbis P. Suarez disputatione 47. metaphysic. sectione 1. numero 8. vtar) *in rebus relationes reales, illas vero non constituere peculiare genus entis, sed esse conditionem quadam transcendentem, qua in omnibus entibus includi potest*. Ecquid autem est relationem prædicamentalem transcendente omnia entia, & respectus, in quibuscumque inclusos, quam eam esse relationem transcendentalem, & hanc cuiuscumque sit verè participare conceptum illius? Ecquid item relationem prædicamentalem esse genus entis, non tamen à cæteris distinctum, sed eis permixtum, quam talem relationem esse rationem communissimam veræ relationis, & omne ens propriè relatiuum, quale profecto nullum non est, sub ea comprehendendi, eiusque naturam fortiri? Quod autem priscos illos philosophos censuisse refert Suarez loco supra citato idem de eis testatur Sotus in principio prædicamenti ad aliquid, necnon Albertus, & Alexander ibidem.

46 Eiusdem sententiæ magna ex parte est Cardinalis Tolerus in capite ad aliquid q. 1. concl. 3. his verbis: *Probabile mihi videtur etiam relatiua secundum dici in hoc prædicamento collocari*: vocat autem supra eodem capite & quæstione 5. *Hæc autem sunt in duplici differentia*: vocat inquam ibi relatiua secundum dici scientiam, habitum, seu facilitatem alicuius rei operandæ, potentiam, & alia eiusmodi accidentia, quæ quidem nos in præsentem vocamus relationes transcendentales plerorumque auctorum, præsertim recentio

recentiorum, phrasin sequuti. Illud tamen displicet, quod Cardinalis loco prius citato negat, eorum accidentium, aliorumve similium respectum transcendentem ab subiecta sua esse predicamentalem: quasi vero esset porior ratio, cur ad obiecta sua, quam ad illa predicamentally referrentur. Quantum autem Tolerus, tantundem, imò fortasse magis nobis fauent apud ipsum Albertus, simplicius, Boëtius, & Paulus Venetus. Quibus accenseri possunt recentiores aliqui, quos suppressis nominibus refert P. Rubius: in predicamenti cap. 7. quæst. 5. num. 66. censent enim omnem relationem veram, ac realem esse predicamentalem: si qua autem relatio, transcendentalis, vel secundum dici dici solita non sit predicamentalis, eam haud esse realem, sed solius rationis, ibi relationem, vbi neutiquam est, singentis.

47 Præterea eiusdem opinionis est B. Damascenus in dialect. cap. 3. 4. *Rursus eorum que ad aliquid aliis secundum abundantiam, ut maius minore est maius: alia autem secundum indicans, & indicatum, ut scientia scibilis scientia: scientia enim indicat scibile id est cognitio indicat cognoscibile: & sensus sensibilis sensus: & positio positi positio: & statio stabilis statio: & reclinatio reclinabilis reclinatio: & talia: Alia secundum potentiam, & impotentiam: potentiam quidem, ut calefaciens, & calefactum: impotentiam autem, quod secundum priuationem potentia; velut dicimus impotentiam habere visum videre non stellaram spheram: alia autem secundum causam, & causatum.* Hactenus ille: Atqui scientia, siue cognitio est relatio transcendentalis ad obiectum suum, necnon sensus, siue sensatio: item positio, statio, reclinatio, potentia, & causa, ut omnibus est in confesso, utque inde constat, quod relatio transcendentalis dici soleat ea, quæ pertinet ad aliud predicamentum distinctum à presenti; scientia autem, & sensus, potentia, & causa spectant ad predicamentum qualitatis, positio vero, statio, & reclinatio ad predicamentum situs, aut fortasse vbitatis: omnes ergo sunt transcendentales relationes: quævis autem earum est iuxta Damascenum predicamentalis, vti relatio maioris, cuius ibidem facit mentionem: institutum enim ei fuit predicamentum ad aliquid explicare, eiusque species recensere: contra verò relatio predicamentalis cum nulla earum specierum recurrit, sed latius quacunque funditur: utrumque autem nostram ex toto continet sententiam: Cui etiam fauet Aristoteles & quia eodem modo loquitur, quo Damascenus, scientiamque, potentiam, & similia ad hoc predicamentum reducit, & etiam propter inferius ex eo referenda.

48 Consentit Augustinus quoque: tum, quia Damasceni & Aristotelis phrasin ei est passim familiaris: tum, quia in categor. cap. 1. 1. sic ait: *si proprie hanc categoriam, quæ ad aliquid dicitur, volumus definire, ut à ceteris separaretur, in omnes enim videtur incurrere, alio modo eam definire debemus, &c.* Vult autem, quantum opinor, eam à ceteris separari, ac propriam vendicare definitionem, propterea quod sit ratio quadam communis, nulli destinata: alitèr, sed potius omnibus superior, & latius fusa; in omnes tamen incurrere, propterea quod nulla sit, quæ merito relationis alicuius transcendentalis ac veræ ad eam non pertineat: tum denique, quoniam infra eodem cap. sic ait: *personam monstrantia non ad aliquid dicta censenda sunt: de qua categoria quantum potuimus explanauimus; licet tanta huic cum ceteris videatur esse permixtio, ut ipse quoque Aristoteles huius distinctionem haud facile repererit.* Quibus nihil pro nostra sententia dici potuit luculentius.

Secundò probatur eadem opinio ratione, eaque, nisi fallor, perspicua. Idcirco aduersarij, præsertim Thomistæ hanc distinctionem relationis predicamentalis à transcendentali in scholas inuexerunt, quoniam omnia predicamenta sunt essentialiter relatiua, pro eo atque explicatum est huius initio capituli: quare, cum idem ad diuersa predicamenta iuxta eos spectare nequeat, necesse inquit est, ut essentialis relatio actionis v.g. ad terminum, quæ procul dubio ad predicamentum actionis attinet hoc ipso non spectat ad predicamentum relationis, neque sit ordo predicamentalis, ac proinde solum transcendentalis: atqui hoc Thomistarum fundamentum ruinosum est, si cuius sunt momenti ea, quibus superius tract. 1. cap. 3. & 4. eandem rem esse posse probauimus in diuersis predicamentis: quidni ergo actio, aut quævis alia eiusmodi relatio possit esse transcendentalis, & predicamentalis secundum plures formalitates ratione distinctas? transcendentalis; nimirum quatenus est inferior quædam; & specifica relatio: & predicamentalis penes rationem communissimam relationis in se imbitam?

Tertia probatio, eaque à ratione petita sit isthæc: 50 omnis vera quantitas est quantitas predicamentalis, atque in genere quantitatis constituitur: ergo & omnis vera relatio predicamentalis est: antecedens, ne aduersariis negaturos arbitror: consequentia etiam est perspicua, sicut enim relatio vagatur per omnia predicamenta, eaque libere transcendit, ita, ut nulum eorum sit, cui non ad aliud referri suo quasi iure competat; sic similiter quantitas omnibus, & singulis predicamentis conuenit, nullumque est, quod ab ea non transcendatur: substantia namque seipsa realiter quanta est, ut modo fert communior scholarum opinio, utque à nobis est probatum tract. 4. huius libri; qualitas etiam seipsa quanta est, tum quia non magis differre videtur qualitas à quantitate, cum qua in ratione accidentis conuenit, quam substantia ab ea diffidet; proinde si substantia per semetipsam quanta est, qualitas etiam sibi soli acceptam referre poterit quantitatem: tum etiam, quia illa per seipsam habet extensionem entitatiuam partium, earumque in actu primo distinctionem, in qua rationem quantitatis collocauimus tract. quarto paulo superius citato: tum etiam, quia, quod eodem ferme redit, ea numerum, ac proinde quantitatem discretam constituit; quis enim neget, qualitatem dici propriè duplicem, triplicem, quadruplicem, aut quintuplicem, aliæ quævis ratione multiplicari, seu numerari? Atque his tribus argumentis, non qualitatem modo, sed quæ subsequuntur eam suprema genera esse seipsis realiter quanta, nisi fallor, manifestè confici potest: Quando ergo non obnitente hac transcendentia quantitas nulla non est predicamentalis, certe omnis vera relatio non obstante huius transcendentia qualibet, atque in cætera genera libero excursu nihilominus erit predicamentalis censenda.

51 Quamuis autem substantia, actio, passio, duratio, vbitatio, situs, & habitus singulatim sumpta non vagentur per omnia predicamenta; idem tamen fere argumentum in eis locum habet, sicut enim omnis vera substantia, saltem creata est predicamentalis, omnisque actio, & passio predicamentalis iridem, & quidquid est verus situs, & habitus, est eo ipso in vtriusque predicamento; quidni similiter omnis vera relatio creata, qua de potissimum agimus, sit predicamentalis, atque in genere ad aliquid; quod etenim ex illo priori sequatur idem esse posse in diuersis predicamentis merito transcendentia, qua relationem predicamentalem sese supponimus immiscere cæte-

ris generibus, focus vero ex hoc posteriori, friuolum est, propterea quod nihil habeat incomodi sequela, vt dictum saepe sapius.

52 Quarta probationi præmittenda est famosa illa diuisio relationis prædicamentalis in tres species: quarum prima fundatur in vnitatem, & diuersitate, cohibetque similitudinem, siue vnitatem in qualitate, ac dissimilitudinem siue diuersitatem in qualitate: item æqualitatem, & inæqualitatem, id est vnitatem, ac diuersitatem in quantitate. Secunda verò fundatur in potentia, & impotentia, actioneque, seu causalitate, & complectitur relationes causæ ad effectum, aut quem potest facere, aut quem fecit, facitve, aut est factura, necnon effectus, aut facti, vel faciendi, vel qui sit, potestue fieri ad suam causam è conuerso. Tertia vero fundatur in ratione mensuræ, comprehenditque relationem scientiæ ad scibile, & appetitionis ad appetibile; hæc namque sunt illarum mensuræ: scientia enim dicitur vera, aut falsa ab obiecto scibili: appetitio bona, aut mala ab obiecto appetibili, eiusque dissonantia, aut consonantia cum dictamine rectæ rationis: quod item est perfectius obiectum scibile, aut amabile, eò est præstantior scientia, & amor. Hæc etiam spectant relationes sensus ad sensibile, visus ad visibile, imaginationis ad imaginabile, aliaque similes.

53 Quamuis autem Raphael de Auersa quæst. 19. log. sect. 7. hanc diuisionem reiciat, talemque censcat esse, quæ nec omnes relationes prædicamentales cohibet, pluresque non prædicamentales complectitur, atque etiam Hurtadus disp. 15. metaph. sect. 10. §. 103. Idem existimet post nonnullas opinionis suæ coniecturas sic inueniens; *hec dixerim, tum vt cognoscatur quid dixerit Aristoteles, tum vt eius interpretes moneam, ne sint vehementer solliciti de hac eius diuisione, quia ipse promissum egit de omni genere relationis.* Cæterum eam relationis prædicamentalis diuidendæ rationem recipiunt, defenduntque cæteri ferme scholastici: præsertim verò B. Tho. 1. part. quæst. 13. art. 7. & quæst. 28. art. 1. & 2. & contra Gentes cap. 11. & 12. Caiet. & Ferrar prædictis locis: Item Scotus, Capreolus, & Hispalensis, ac reliqui sententiarum in primum dist. 30. & 31. Suarez disp. 47. metaph. sect. 10. Conimbricenses in caput 7. de relat. quæst. 2. art. 2. §. prætermissa igitur: & cum eis cæteri communiter expositores.

54 Que cum ita sint, probatur quartò nostra sententia. Cognitio, & amor ad obiecta sua referuntur transcendentaliter, vt certo certius: atqui ea relatio est prædicamentalis: aliqua ergo transcendentalis relatio, adeoque omnis, cum non potior vnus, quam alterius ratio) est prædicamentalis, quamuis è conuerso hæc non sit vlli relationi transcendentali, seu particulari stricta, vt per se, ac sponte sua liquet. Quod relatio cognitionis, & amoris ad obiecta sua sit prædicamentalis, in quo est tota argumenti difficultas, sic suadet. Eiusmodi relatio fundatur in vnitatem quadam, vti namque imago, & representatio physica Cæsaris v. g. cum eo est vnus quidpiam, idemque quodammodo, adeoque Cæsar vulgo appellatur, ita etiam cognitio, siue imago, ac representatio intentionalis cum re cognita censenda erit vna, & eadem: aliquo certè sensu amor etiam est quædam coniunctio, & vnitas amantis & amati, qua ratione dici solet animam magis ibi esse vbi amat, quam vbi animat. Relatio ergo tum cognitionis, tum etiam amoris vnitatem velut fundamentum innititur, adeoque est in prima specie relationum prædicamentali-um.

55 Dices, vnitatem cognitionis, & rei cognitæ, amo-

ris, & rei amate esse improprium, & metaphoricam, adeoque relationem in ea fundatam, ac veluti tibi-natam hæud esse prædicamentalem. Contra tamen primò: quoniam non pauci Thomistarum, quibuscum potissime disceptatio, censent eam vniorem, & identitatem esse veram, & rigorosam, omnisque expertem metaphoræ. Contra secundò, quia similitudo duorum alborum est relatio prædicamentalis, & tamen vnitas, siue identitas albedinum inter se, in qua, & non in alterutrius secum ipsa iuxta plures etiam aduersariorum fundatur hæud est vera, ac propria, sed impropria, ac metaphorica, stansque beneficio intellectus nostri, sine eius operatione, aut aptitudine ad illam illico ruitura vt lib. 7. ostenditur ex professo vtque optimè tradunt P. Suarez disput. superius citata sect. 11. num. 2. & P. Hurtadus disp. 15. metaph. sect. 10. subsect. 2. §. 98. & cum eis plures, ac maioris auctoritatis scholastici: quanquam ergo vnitas cognitionis, & rei cognitæ, amoris, & rei, cui inhaeret sit impropria, id non tollet, quominus ea propria ac prædicamentali relationi fulcimentum præstet.

56 Contra tertio: quoniam relatio propinquitatis, similitatis, ac distantie duarum rerum, siue quoad tempus, siue quoad locum, est prædicamentalis, atque ad primam huius prædicamenti speciem attinet, necnon etiam vnio, siue relatio vniti, qua humanitas v. g. refertur ad verbum, aut materia ad formam, siue è conuerso, vt bene P. Suarez disp. citata sect. 14. num. 17. atqui vnitas, in qua fundantur, hæud est propria, hæud etiam diuersitas, cui innititur earum aliqua, strictam diuersitatis rationem obtinet: eatenus enim aliqua dicuntur propè, aut iuxta esse temporaliter, aut localiter, quatenus eorum vnus est tempus, vnusve locus, non omnino ac verè, sed metaphorice, ac moraliter ob parum, & vix arstimabilem vtriusque interpositionem: eatenus simul vno, vel altero modo, quatenus eorum tempus est strictè vnus, vnusque similiter locus; adeoque propter vnitatem, quæ vere talis sit, non tam respectu fundamenti, & termini inter se inuicem, quam alicuius tertij; eatenus distantia, quatenus est diuersum vtriusque tempus, diuersusque locus, ac proinde merito diuersitatis improprie, & alienæ, ad aliudque spectantis: eatenus denique vnita, quatenus reperitur vnio vtriusque in se vna proprie, non tamen extrema denominans eadem proprietate vna, & eadem; quis enim dicat, materiam, & formam realiter distinctas, strictam tamen sortiri vnitatem, & identitatem? aut quis intelligat, eam si fortiantur, compositionem efficere posse: licet ergo vnitas cognitionis, & amoris cum suis obiectis sit impropria, propriam ad ea prædicamentalem relationem nequaquam impedit.

57 Quinta nostræ sententiæ probatio. Potentia est relatio transcendentalis, quippe quæ transcendit aliud prædicamentum diuersum ab eo, quod dici solet *ad aliquid*; videlicet qualitatem, eiusque est vera species omnium consensu, vtque superius est edoctum inter B. Damasceni auctoritatem expendendam. At iuxta Aristotelem, & cæteros omnes est relatio prædicamentalis seu quatenus agit effectum suum, seu quatenus eum sibi iam coexistentem egit; nisi vero paternitatem, siue genuisse filium ab hoc ausis relegare prædicamento: ergo &c. Rursus potentia effectus producendi in illius cum hoc fundatur proportionem quadam, qua seclusa ignis v. g. non magis calorem produceret, quam frigiditatem: proportio autem duarum rerum est earum conuenientia, & vnitas quædam: item relatio effectus

ad causam fundatur in eo, quod sit eius imitatio quædam: imitatio autem, an non vnitas aliqua? His ergo ex titulis relatio tum causæ ad effectum, tum huius ad illam est prædicamentalis, & non primæ dumtaxat speciei, sed etiam secundæ, & tamen est interim transcendentalis, vt est manifestum.

58 Sexta nostræ sententiæ probatio: scientia refertur, transcendentaliter ad obiectum suum, vt superius sæpissimè doctum, vtque inter omnes receptum: huiusmodi autem relatio est prædicamentalis, vt potest fundata in ratione mensuræ, adeoque tertiæ speciei: quæ quidem sententia est expressa Aristotelis, eiusque interpretum communiter: sicut autem hæc, cur non omnis relatio transcendentalis atineat ad prædicamentum, quo de agimus? Quidam auctores sequuti, non quod tenuit sed quod probabiliter teneri posse edocuit P. Suarez disp. 47. metaph. sect. 13. arbitrantur, scientiam non referri prædicamentally ad scibile iuxta Aristotelem, nullamque de eius sententia relationem prædicamentalem fundari in ratione mensuræ, sed potius hoc tantum eum voluisse scibile ad scientiam, sensibile ad sensum, & mensurabile ad mensuram, id est cognoscibile per applicationem extrinsecæ mensuræ, & manifestabile quoad eius quantitatem molis seu perfectionis, atque vniuersum omnem denominationem extrinsecam, ad formam vnde sumitur: contra verò scientiam, sensum, & cognitionem extrinsece mensurantem, siue merientem, atque quamuis aliam dumtaxat transcendentaliter ad suum referri obiectum. Quod si ita est, tota vis nostræ probationis corrui: ita verò se habere colligitur luculenta ratione ex verbis Aristotelis lib. 5. metaph. cap. 15. *ad aliquid alia dicuntur, vt duplum ad dimidium, &c. alia, vt mensurabile ad mensuram, & scibile ad scientiam & sensibile ad sensum: vbi verba illa, vt mensurabile ad mensuram, non tam videntur relationem scientiæ fundatam in ratione mensuræ, quam exemplum quoddam extrinsecæ denominationis relatæ ad formam vnde petitur insinuare.*

59 Cæterum, quod scientia prædicamentally ad suum referatur obiectum de sententia Aristotelis, lucè magis claret ex eius cap. 7. prædicamentorum, vbi sic habet: *sunt & hæc etiam ex hisce, quæ ad aliquid sunt, vt habitus, dispositio, scientia, atque positio: omnia enim hæc id quod sunt, aliorum esse, aut ad aliud aliquo modo dicuntur: & non aliud quidpiam: habitus, & scientia alicuius habitus, & scientia, positio alicuius positio dicitur esse: cæteraque simili modo.* Atque hæc est communis sententia, vt fateatur ipse P. Suarez. sect. nuper laudata num. 8. vbi etiam eam amplectitur vt veriorē, quamuis contrariam, vt dictum est, haud neget esse verisimilem. Vanum autem fuerit, multos pro ea authores particulatim referre, quando tantum non omnes ei quidem in hærescunt: super id, quod eximius Doctor sit instar plurium imo etiam vnus pro omnibus sufficiat.

60 Verba autem Aristotelis ex libri 5. metaph. capite 15. deprompta nullum nobis facessunt negotium, quippe quæ tantum probant, scibile prædicamentally referri ad scientiam, non tamen, quod hæc ei vicem neutriquam rependat, similique illud relationem haud excipiat. Verum enim aduersus hanc solutionem facit iuxta eam videri relationes prædicamentales tertiæ speciei tam esse mutuas, quam, quæ sunt primæ, vel secundæ: quemadmodum enim refertur maius ad minus, & hoc ad maius; item pater ad filium, & hic ad patrem, &c. ita scientia ad

scibile, & hoc ad scientiam: consequens autem videtur esse contra Aristotelem 5. metaph. cap. 15. in hæc loquentem verba; *quæcumque igitur secundum numerum, & potentiam ad aliquid dicuntur, cuncta sunt ad aliquid, eo quod ipsum quod est alterius dicitur ipsum quod est, sed non eo quod aliud ad illud: mensurabile autem & scibile, & intelligibile eo quod aliud ad illud dicitur, nam intelligibile significat, quod eius est intellectus.* Respondeo non obstante doctrinâ à nobis tradita probè intelligi, quo pacto relationes tertiæ speciei esse possint non mutuas magis quam, quæ ad primam, aut secundam attingunt, nam scientia, quocumque modo consideretur, essentialiter importat relationem ad obiectum scibile: cæterum scibile, si supponat pro materiali, haudquam vendicat relationem ab scientiam, sed potius ab omni ad eam respectu est liberum: quod haud habet locum in relationibus aliarum specierum: siquidem maius & minus, pater, & filius pro materiali supponentia nullum alterutrinque respectum concernunt, eorum vero singula pro materiali, ac formali simul supponentia cum inuoluunt, nec ab illo possunt præcindi: magis ergo est, vt eorum esse debeat mutua relatio prædicamentalis, retrorsumque valeat, quam, quæ est inter scibile, ac scientiam. Videnda sunt, quæ superius diximus cap. 1. huius tractatus.

61 Ex disputatis hætenus posset, relationem prædicamentalem in tres illas vulgares species adæquatè, & sufficienter diuidi, nullamque relationem huius prædicamenti esse, quæ ad eas non retroceret: si quæ namque in illis non essent numerandæ, maximè relationes appetitus ad appetibile, vniti ad extremum vnionis alterum: item relationes simultatis, propinquitatis, ac distantia, quoad locum, tempus: nulla autem harum eas est extra species. Patet secundò, quo pacto relationes tertiæ speciei sint quodammodo mutuas, quo non primæ, aut secundæ. Patet tertio vnam, eandemque relationem prædicamentalem multoties attingere simul ad duas illas, vel tres etiam species, atque non vno, sed duplici, vel triplici nomine ad præsens genus attingere; id quod cum P. Suarez alij plures supponunt. Patet quartò, nullam esse relationem prædicamentalem, quæ non sit fundata in vnitate, aut diuersitate, quidquid sit, an relationum prædicamentaliū præter vnitatem, ac diuersitatem sint etiam alia fundamenta, nempe superius recensita: Ita præter alios Aueria q. 19. log. sect. 7. §. *Tertio solum superest primum illud genus.* Patet quintò, cum dicitur relationem prædicamentalem modò fundari in vnitate; aut diuersitate, siue, vt loquitur Arist. esse secundum vnitatem, & numerum: modò verò in alijs esse fundatam haud esse sermonem de vnitate reali, ac vera, sed tantum solius rationis, seu fundamentali. Nisi vero cum P. Suarez, & alijs, quos probabiliter disputare censeo, velis vnitatem, in qua fundatur similitudo, de Aristotelis opinione non esse vnus qualitatis cum alia, sed potius alterutrius secum ipsa; vt sensus sit, ea esse similia, quorum alterutri inest vna quædam qualitas conueniens cum ea, qua afficitur altera. Cæterarum etiam difficultatum aduersus trimembrem illam diuisionem, aut quasi diuisionem solutio patet ex iis, quæ hucusque differuimus.

62 Septima nostræ probationis sententiæ sit ad homines, Caietanus, Ferrariensis, Capreolus, Soncinas, supra cap. 1. citati, necnon præter eos Deça in primum dist. 33. q. 1. notabili. 4. tuentur relationem rationis, & commentitiam, cuiusmodi est generis ac collectionem specierum, à quibus est realiter indistinctum,

indistinctum, aut identitatis numericae alicuius rei secundum ipsam, esse relationem praedicamentalem, atque eatenus conuenire cum relationibus similitudinis, aequalitatis, paternitatis, aliisque id genus, quae non sunt rationis, sed potius reales: ergo à fortiori, ut aiunt, relationes transcendentales, quae non metaphoricè, sed propriè, nec ratione, sed reipsa sunt relationes, censendae erunt huius praedicamenti. Respondebunt proculdubio aduersarij; relationes rationis, quamuis spectent ad hoc praedicamentum, haud propterea merum esse, ne simul sint in alio: quippe cum sint entia rationis, & non realia, nequaquam erunt vera, ac praedicamentalis substantia, quantitas, aut qualitas, non actio, passiove, nec vbicatio, aut duratio, sicut, vel habitus: ceterum ubi relationes transcendentales spectent ad praedicamentum relationis, fore, ut simul sint in duobus, in eo nimirum atque in genere qualitatis, si de scientia v.g. sermo sit, aut actionis, si de hac potius, aliove quopiam. Verum penitus neutiquam habemus, si una, eademque res ad duo spectet praedicamenta, eorumque simul species sit, atque pars subiectiua: quin id necessarium esse, ac multoties euenire, ostensum est supra tract. primo: non est ergo, quod eius solius incommodi vitandi gratia relationes rationis magis, quam transcendentales ad genus *ad aliquid* attrinere fingantur.

63 Octaua, & vltima nostrae sententiae probatio, ut alias praetermittam, est talis. Relatio praedicamentalis iuxta Aristotelem in dialectica est, cuius totum esse est esse ad aliud: eiusmodi autem est cognitio, actio, & quauis alia relatio transcendentalis: haec ergo non distinguitur ab illa adaequatè, sed eo tantum modo, quem superius explicuimus: propositio maior est perspicua: minor nihilo minus: ecquid enim est in cognitione, quod non sit ad obiectum, aut in actione quod non ad terminum? Respondent P. Suarez supra sect. 5. num. 8. Conimbricenses in praedicam. cap. 7. quaest. r. art. 3. & alij, cum dicitur relationem praedicamentalem esse, cuius totum esse est esse ad aliud; particulam, *totum*, haud esse accipiendam positivè: ita enim conuenit relationi transcendentali, quidquid namque in ea est, reuera est ad aliud more illius prioris, sed potius negativè: quasi sensus sit; relationem praedicamentalem nihil aliud praestare, quam vnum ad aliud referre, vnumve è conuerso aliud terminare, totamque in ratione puri termini sitam esse: contra verò transcendentalem praeterquam terminandi, & referendi munus aliud exercere. Ceterum haec doctrina, quam sit parum momentosa, visum est superius capite secundo.

C A P V T V.

Soluuntur argumenta aduersus utrumque discrimen relationis praedicamentalis à transcendentali.

64 Quid non omnis vera, ac realis relatio sit praedicamentalis, huiusque consequenter à transcendentali differentia non sit tantum irreciproca, nec in eo sita, quod è conuerso relatio praedicamentalis, siue in genere, & vniuersaliter sumpta haud sit aliqua relatio transcendentalis seu particularis, vllive praeter ceteris stricta, docent expressis verbis Auerſa quaest. 19. log. sect. 1. primo ergo (inquiens) satis manifestum est, dari realiter relationes modo dictas primi ordinis, quas diuinceps commodum erit appellare vno nomine relationes transcendentales, quae scilicet non constituent peculiare quoddam relationis praedicamentum, neque

ad praesens praedicamentum pertinent: & Paulo infra; tertio dici non potest easdem res in communi sumptas poni in hoc praedicamento, in singulari vero sumptas in aliis praedicamentis: Necnon Rubius in praedicam. cap. 7. q. 5. n. 78. & quidem quod non omnes relationes reales in hoc praedicamento collocari debeant, certum apud omnes est: nam cum transcendentales per plura praedicamenta vagentur, non secus ac absoluta ad quae pertinent, in nullo peculiari praedicamento collocari possunt: quo tamen iure omnes pro se referat auctores, colligi licet ex dictis ad initium capitis praecedentis: ceterum in ea sententia est maior Doctorum pars; praesertim vero ij, quorum discrimina inter utramque relationem supracap. secundo reieciimus. Pro quibus plurifariam argui potest, posteriorque differentia à nobis assignata refelli.

65 Primò sic diuisio viuientis in animal, & hominem haud est propria, haud exacta ad leges bonae diuisionis; ergo nec talis erit diuisio relationis in praedicamentalem, & transcendentalem; ubi haec sit ratio inferior, & illa superior more hominis, & animalis. Respondeo necessum non esse, ut ea diuisio sit propria, exactave, & amussitata: quo pacto entis partitio in decem praedicamenta, qua quidem inter auctores nulla celebrior, nihilominus est impropria, & pingui Minerua tradita, uti ostensum tractatu illo primo saepe saepius citato. Secundum argumentum: idem nequit esse in diuersis praedicamentis: esset autem, si relatio transcendentalis quauis, & cuiuslibet generis, seu praedicamenti foret in eo, quod dici solet *ad aliquid*. Verum huic argumento responsum iam est concessa sequela, & negata consequentis absurditate.

66 Tertium argumentum ex Rubio loco nuper laudato: Respectus accidentis in communi ad subiectum est transcendentalis, ut omnibus est in confesso: talis autem respectus, qui solet inhærentia aptitudinalis appellari non est in praedicamento relationis: alias accidens communissime sumptum in eo esset; quippe cuius essentia consistit in ordine ad subiectum & inhærentis aptitudine: quemadmodum autem ens non est in praedicamento substantiae, qua est superius; ita fieri nequit, ut accidens sit in praedicamento relationis, qua sicut, & ceteris omnibus generibus praeter substantiam est superius, & latius fufum. Respondeo; respectum transcendentalem accidentis in communi ad subiectum, ipsumque consequenter accidens esse in praedicamento ad aliquid: quod autem opponitur, accidens esse quid superius relatione praedicamentali, iuxta hunc eius explicandæ modum, quem tuemur, prorsus est falsum: quin imò è contrario relatio praedicamentalis, tum accidens, tum etiam substantiam superat: huic enim, illique commune est realiter, ac verè referri ad aliud quidpiam.

67 Quartum argumentum ex eodem ibidem: Nihil esse potest in praedicamento relationis nihil in alio vllò, quod non fuerit ens completum: ac relatio scientiae ad obiectum, potentiae ad effectum, & quauis alia similis, siue ea transcendentalis appelletur, siue iuxta aliorum phrasim secundum dici, non est completa, sed potius quidam diminutus respectus, quo alicuius rei absoluta completur essentia: nam scientia v.g. est qualitas absoluta, tamen relatione ad obiectum perficiatur quodammodo. Respondeo ad praedicamentum *ad aliquid* spectare posse relationem transcendentalem scientiae, potentiae, & similium, non obstante earum incomplemento: vel, quia complementum requiritur ad praedicamentum non metaphysicè, sed tantum physice, ac valde pressè sumptum: vel, quia